DISPUTATIO MEDICA

DE COLICA PASSIONE:

Quam

DEO OPT. MAX. PRAESIDE

CONSENTIENTE

&

APPROBANTE

AMPLISSIMO MEDICORUM CELEBERRIMAE ARGENTORATENSIUM ACADEMIÆ COLLEGIO,

PRO DOCTORALIBUS IN ARte Medicâ acquirendis honoribus atque Privilegiis publico examini ſubijcit, & defendere conabitur

JOHANNES WILHELMUS AGRICOLA,
ALTENBURGENSIS.

Ad diem Octobr: horis matutinis.

ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI
M. DC. XLVII.

17.

Thesis I.

INteſtina, quanquam variis, iiſque diris ſymptomatibus torqueantur, præ cæteris tamen frequentius atque atrocius dolore exercentur.

II.

Cauſas autem, cur adeò frequenter inteſtinorum ſubſtantiam dolor obſideat, artis noſtræ proceres duas comminiſcuntur: unam à ſtructura: alteram ab officio inteſtinorum petitam.

III.

A ſtructura, quoniam inteſtinorum ſubſtantia triplici membrana eſt donata, innumeriſque nervorum à ſexta conjugatione propaginibus intertexta, ac ob id exquiſitiſſimo ſenſu prædita.

IV.

Ab officio, quia inteſtina non chylum modò magis adornant, eique ſupremum perfectionis gradum largiuntur, ſed & longa quum ſint, anfractibuſque multis ſinuoſa, varias ſanè materias excipiunt, quemadmodum Fernel. l. 6. de part. morb. & ſympt. c. 10. *teſtatur, quarum vel exuperanti copia, vel qualitate prava diſtorquentur.*

V.

Nihil itaque mirum, ſi inteſtina & propter εὐαισθησίαν, *& propter variarum materierum conditionem dolore crebrius afficiantur.*

VI.

Diſputaturus ergo de Colica, hujus 1. Nomina. 2. Definitionem. 3. Differentias. 4. Subjectum ſeu partem affectam. 5. Cauſas. 6. Signa. 7. curandi rationem breviter in apertum proferam.

VII.

Nomen quod ſpectat, appellatur hic affectus à Græcis κωλικὴ ὀδύνη, κωλικὴ διάθεσις, ἀπὸ τοῦ κωλάζεσθαι, à torquendo, vel, ut aliis placet, ἀπὸ τοῦ κωλύειν. ſ. retardando ſeu remorando, quod fæces in eo ob cellulas remorentur, ſeu, ut quidam interpretantur, à ſede affecta, inteſtino nimirum colo, quod maximè hoc in affectu patitur. Vnde à Latinis quoque colica, colica paſſio, ſive affectio colica nuncupatur. Celſus morbum inteſtini plenioris nominat.

VIII.

Cæterùm, cum varia & multiplex colicæ ſit ſignificatio, ideò ne indiſtincta confuſionem pariant, confuſio autem errorem introducat, antequam ad definitionem fiat progreſſus, de quanam colicâ ſermo ſit, declarandum.

IX.

Sumitur autem duobus modis: in genere, & in ſpecie.

X.

In genere quemvis denotat infimi ventris dolorem, à quâcunque cauſa excitatum, cujus ſedes non modò colon eſt inteſtinum, ſed etiam ventriculus, inteſtina gracilia, renes, uterus, nonnunquam & peritonæum, atque membranæ, quæ abdomini ventrisque partibus obtenduntur; quemadmodum videre eſt apud Fernel. l. 6. de part. morb. & ſympt. c. 10.

XI.

In ſpecie verò illum innuit dolorem, qui ſecundum Gal. l. *6.* de loc aff. c. 2. *tantum fit in inteſtino colo: quæ ſignificatio hujus eſt conſiderationis.*

XII.

Hinc definitur colica, quod ſit affectus inteſtini coli, cum torminibus & acerbo dolore id excrucians, actionesque illius offendens.

XIII.

Ex hâc definitione Genus facilè innoteſcit.

XIV.

Cum enim colicæ eſſentia poſita ſit in dolore, dolor autem

iuxta

iuxta Gal.l.de diff.ſympt.c.3. *tactus ſymptoma exiſtat, ſequitur, illam quoque ejusdem eſſe ſymptoma.*

XV.

Sed cum omne ſymptoma ad morbum aliquem, velut ad cauſam, reducatur; haud immeritò quæritur, quiſnam ſit ille, ad quem reduci debeat?

XVI.

Ad hanc quæſtionem varij variè quoque reſpondent. Doctiſſimus namque Mercurialis l. 3. de affect. infim. ventr. c. 26. *eam refert ad continui ſolutionem, & malam conformationem. Alij ad intemperiem quandam inteſtinorum.*

XVII.

Verum arbitror, ſalvo tamen rectius ſentientium judicio, poſſe revocari colicam, partim ad intemperiem, tanquam cauſam remotam, non quidem quamlibet, ſed ſubitò duntaxat atque derepentè factam: partim ad continui ſolutionem, ceu cauſam proximam.

XVIII.

Nam redundans materia, ſive in colo generetur, ſive aliunde eò confluat, idipſum replet: Repletio comprimit atque diſtendit: tenſio unionem ſolvit; cujus ſolutio doloris poſtea cauſa exiſtit.

XIX.

Tantum de definitione. Pergo ad differentias, quarum complures numerantur. Petuntur autem vel à forma, vel à cauſa efficiente, vel à tempore & duratione, vel à modo læſæ functionis

XX.

Ratione formæ, colica alia levis eſt atque remiſſa, quæ non magnoperè lædit: alia verò gravis & intenſa, quæ vehementer excruciat, variaque ſymptomata parit.

XXI.

Ratione temporis & durationis, alia brevis eſt, citoque terminatur: alia diuturna, quæ tarde cedit.

XXII.

Ratione cauſæ efficientis, colica vel bilioſa eſt, vel pituitoſa, vel flatulenta. Reperitur etiam, quæ à vermibus & lapidibus in colo genitis eſt excitata.

XXIII.

Denique ratione modi læſarum functionum, alia fit per ἰδιοπάθειαν, alia per συμπάθειαν. Illa fit, quando materia in ipſa parte affecta generatur. Hæc verò, quando aliunde confluit ad inteſtinum colon.

XXIV.

Sedes ſeu pars affecta colicæ ipſum colon eſt inteſtinum: quod non modo omnium eſt ampliſſimum, ſed & plurimis cellulis præditum, in quibus variæ contineri poſſunt materiæ.

XXV.

Hoc primùm nomen ipſum ſignificat. 2. doloris ſitus probat. 3. læſa ejusdem actio planum facit.

XXVI.

Quamlibet enim ſedem affectam Gal. 1. de loc. aff. cap. 5. *ex quinque ſignorum fontibus inveſtigat: ex actione nimirum læſa, excretis, ſitu doloris, proprietate doloris, & propriis ſymptomatibus.*

XXVII.

Cauſæ colicæ duplices ſunt: Externæ & internæ.

XXVIII.

Externæ rurſus geminæ exiſtunt, vel enim ſunt neceſſario, vel non neceſſario nos alterantes.

XXIX.

Internæ itidem binario numero comprehenduntur: Sunt enim vel remotæ & antecedentes, vel proximæ.

XXX.

Inter externas neceſſario nos alterantes 1. *recenſetur Aer, qui pro qualitatum ſuarum immoderatione nunc in bilioſi, nunc in pituitoſi humoris conſpirat productionem.*

2. *Ali-*

XXXI.

2. *Alimenta, quæ vel quantitate vel qualitate peccant.*

XXXII.

Peccant in quantitate, cum plura quàm ſuperari digerique à ventriculo poßint, aſſumuntur. Vnde cruditates reſultant, quæ colicam pariunt.

XXXIII.

Peccant in qualitate, cum ſunt calida vel acria atque mordacia, vel frigida, craſſa, lenta, atque viſcida.

XXXIV.

Acria atque mordacia ſunt ex radicibus, allium, cepa, porrum, raphanus eſculentus, raphanus marinus, ſeu ruſticanus. Ex oleribus naſturtium, eruca, dracunculus eſculentus, leviſticum, chærefolium, petroſelinum. Ex herbis, abrotanum, roſmarinus, thymus, ſatureia, hyſſopus, anethum. Ex aromatibus, zinziber, piper, cinamomum, caryophylli, crocus, quibus Semina Sinapeos, Aniſi, fœniculi, Carui addi queunt.

XXXV.

Frigida vero, craſſa viſcida atque lenta ſunt, ex vegetabilium albo. 1. olera & herbæ quædam, ut lactuca, ſpinachia, acetoſa, portulaca, endivia, cichorium, ſolanum, atriplex, blitum. 2. Radices, ut ſolani tuberoſi, quò referri queunt, tubera terræ & fungorum genera, licet hæc merè radices non ſint. 3. fructus arborum, fruticum, ſuffruticum, & Herbarum.

Arborum ut ceraſa, pruna, poma, pyra, mora, ſorba, meſpila, corna, mala perſica, armeniaca, cydonia, &c.

Fruticum, ut ribeſia, mora, berberes, pruneola ſylveſtria, uvæ immaturæ, & quod exiis elicitur, agreſta, ſive omphacium.

Suffruticum, ut vaccinia, nigra, ſive myrtilli.

Denique Herbarum, ut cucumeres, cucurbitæ, citrulli, anguriæ, fraga, pepones, melopepones. 4 Legumina & fruges: ut milium, panicum, faba, hordeum, avena. Hanc enim Hipp. l. 2. de de diæt. *frigidam ſtatuit, etſi recentiores quidam eam nonnihil calidam dicant.* Simeon Sethi lib. de aliment. facult. Hippocr. *ſubſcribit, & avenam refrigerare credit.* *Ex*

Ex genere animalium frigent, viſcidumque ſuccum præbent, membranæ, tendines, ligamenta, venæ, arteriæ, nervi, cartilagines, cerebrum, ſpinæ medulla, ventriculus, inteſtina: adhæc piſces omnes maximè cyprini, anguillæ, barbi, tincæ, naſones, cancri, gammari &c. Aves item aquaticæ, ut anates, mergi; Et prætera cochleæ, ranæ, teſtudinesque lutariæ. Tandem quæ ex animalibus, proveniunt, ut Lac, ſerum lactis, oxygala, &c.

XXXVI.

Potus, vel calefacientes bilemque multiplicantes, ut vina generoſa, qualia ſunt meraciora & aromatizata, quemadmodum etiam Medones: Vel refrigerantes, plurimumque pituitæ aut flatuum procreantes, ut aqua frigida, cereviſia recens, muſtum.

XXXVII.

Motus ſive exercitia aut nulla, quæ calorem efficiunt inertem, concoctionem impediunt, cruditates pariunt, excrementorum producunt proventum: aut nimia, quæ calorem accendunt, ſpiritus inflammant, bilemque exacuunt.

XXXVIII.

Hiſce annumerantur vigiliæ, inediæ, ſuppreſſiones excrementorum, animi vehemens excandeſcentia, mæror & luctus diuturnus.

XXXIX.

Inter externas autem non neceſſario nos alterantes referuntur medicamenta, & balnea, ſive calefacientia, ſive refrigerantia: natationes in aquis frigidis, denudationes, & ſic deinceps.

XL.

Internæ vero cauſæ vel adjuvantes ſunt & diſponentes, vel principales.

XLI.

Diſponens & adjuvans eſt nativa viſcerum & inteſtinorum δυσκρασία, *quæ perpetuo congeneres & naturæ ſuæ affines producit humores.*

XLII.

Principales ſunt flatus, vel humores, modò pituitoſi, modò bilioſi,

bilioſi, acrimonia, mordacitatis, aut etiam lentoris viſciditatisque nonexpertes: quarum qualitatum ratione inteſtinorum ſubſtantiam vel ferire, vel ſupra modum diſtendere, atque ita continuum ſolvere, & conſequenter dolorem colicum procreare valent.

XLIII.

Proveniunt autem hi flatus aut humores, vel à cauſis modo enarratis: improbabili videlicet in rebus non naturalibus appellatis vivendi ratione: vel vitioſa partium primæ & ſecundæ concoctionis opificum conſtitutione: colliguntur que in inteſtinis, in quæ à natura per vias conſuetas, velut ad cloacam & ſentinam publicam univerſi corporis protruduntur.

XLIV.

Hæc de cauſis. Sequuntur ſigna, quæ vel ſunt diagnoſtica, vel prognoſtica.

XLV.

Diagnoſtica rurſus triplicia exiſtunt. Sunt enim vel παθογνωμονικὰ, quæ ſpeciem affectus declarant; vel ἀιτιογνωμονικὰ, quæ cauſas demonſtrant; vel diſtinctiva, quæ indicant, quibus notis dolor hic ab aliarum partium inteſtinis contiguarum dolore diſſideat.

XLVI.

Signa colicæ paſſionis παθογνωμονικὰ petuntur 1. ex ſitu doloris, qui oritur in ea parte infimi ventris, ubi ſitus eſt inteſtini coli. Oritur autem illud à cæco, & ad renem dextrum, cui adhæret, ſub hepate reflectitur, & convolutum ſub ventriculi fundo progrediens ad lienem, moxque in poſteriora reflectens, ad renem ſiniſtrum, cui alligatur, deſcendit, & poſtquam duos gyros fecit, in rectum deſinit. 2. ex proprietate doloris, qui nunc tenſivus eſt, nunc punctorius. 3. ex excretis, ut nauſea, eructationibus, vomitionibus. 4. ex læſa functione, fæcum ſc. ſuppreſſione.

XLVII.

A qua vero cauſa dolor excitetur, illæ res patefaciunt, quæ demonſtrant, quis humor in corpore exuperet.

XLVIII.

Sunt autem rerum illarum juxta Gal. ſententiam l. 10. de compoſit. medicam. κ. τοπ. 1. cap. 2. *numero quatuor.* 1. *Res naturales.* 2. *Non naturales.* 3. *præter naturales,* 4. *juvantia & lædentia.*

XLIX.

Sic bilioſæ colicæ ſigna ſunt temperatura totius corporis calidior & ſiccior, actiones celeres atque præcipites, habitus corporis tenuis gracilis, & hirſutus: Vrinæ flavæ, acres atque mordaces, ætas juvenilis; Aeris conſtitutio calida & ſicca, alimenta calefacientia & ſiccantia, exercitia corporis valentiora: conſueta bilis evacuatio cohibita, ira, vehemensque animi excandeſcentia, medicamenta acria atque mordacia, febricula, ardor, ſitis, & perceptio levaminis ex uſu refrigerantium.

L.

Pituitoſæ colicæ indicia ſunt, temperatura frigida & humida, ætas ſenilis, habitus corporis glaber & obeſus, tempus anni hybernum, vita prægreſſa deſes & otioſa, alimenta in qualitate frigida & humida, in quantitate nimia, pituitæ ſuppreſſio, interdum ejus vomitio, doloris propter tenacitatem materiei perſeverantia: Læſionis ex frigidorum, euphoriæ ex calidorum remediorum applicatione perceptio.

LI.

Flatulentam colicam indicant tum multæ rerum modo commemoratarum, tum vel imprimis doloris evagatio, cum murmure, & ex uſu carminantium ſubſequens melioratio.

LII.

Porrò, cum affectus hic affinitatem habeat cum aliarum quarundam partium in infimo ventre contentarum doloribus, utpote iliacis, nephriticis, hyſtericis, & dyſentericis, ideoq́; opus eſt ad meliorem curationem accuratâ diſtinctione, quam præbent ſigna diſtinctiva.

LIII.

Iliacam paſſionem quod attinet, differt hæc à colica, & ratione ſubjecti, & ratione doloris.

LIV.

Ratione ſubjecti; quod dolor in iliaca paßione inteſtina tenuia, maximè vero ileon infeſtet: in colica verò dolor colon inteſtinum occupet.

LV.

Ratione doloris: quoniam forma & ſpecies doloris alia eſt in iliaca, alia in colica paßione. In illa enim dolor ferè ſemper eſt punctorius vel gravativus: In hàc vero modo punctorius, modo tenſivus.

LVI.

Accedit quoque & hoc, quod vomitus in colica paßione non ita ſit violentus, ut in ileo, neque omnia alimenta, multoque minus excrementa per os rejiciantur, quemadmodum in ileo accidit, in quô etiam clyſteres & glandes ano immißi ſuperiora verſus trahuntur, & ore rejiciuntur; ut Senn. de ſympt. inteſtin. cap. 1. affirmat.

LVII.

Quomodo autem à dolore nephritico diſcrepet adeò difficile eſt cognoſcere, ut Gal. ipſe 2. de loc. aff. c. 5. & 6. *Se in hoc deceptum fateatur. Cauſa autem difficultatis eſt, quia communia ſunt quædam utrique dolori; nauſea ſc. vomitus, alvi conſtipatio, dolor dorſi, impotentia corpus flectendi: &c.*

LVIII.

Vt tamen alter ab altero poßit diſcerni, reſpiciendum eſt ad ſitum doloris, doloris proprietatem, & excreta.

LIX.

Primò namque dolor colicus magis vergit ad anteriores partes: nephriticus vero ad poſteriores circa regionem lumbarem.

LX.

Deinde dolor in colica, ſive tenſivus, ſive punctorius fuerit, eſt intenſior: nephriticus autem gravativus eſt & remißior.

LXI.

Tertiò dolor nephriticus fixusque eſt & ſtabilis, inque una parte permanet, donec calculus delabatur in veſicam. Dolor

vero colicus haud quaquam in uno loco fixus eſt, ſed vagabundus ſequens ductum inteſtini.

LXII.

Vrina in nephriticis doloribus in principio eſt pellucida & ferè aquea, in progreſſu vero turbida & ſabuloſa, quod non obſervatur in colica.

LXIII.

Fæces alvi in colica affectione ſunt aridæ, ſiccæ atque duræ, & ut Avicenna *ait, veluti caninæ. In nephritide vero etſi nonnunquam retineantur, molliores.*

LXIV.

Dyſentericus quoque dolor, etſi quadantenus colico ſit ſimilis, ſigna tamen utriusque variant. Nam in dyſenteria adeſt præter dolorem inteſtinorum exulceratio cum cruenta alvi dejectione, eſtque alvus in ea perpetuò aperta, quorum nihil accidit in colica.

LXV.

Tandem Hyſtericus dolor, quoniam & hic cognationem habet cum colico: ſequentibus tamen notis ab eo diſsidet. 1. quod dolor ille inguinibus & coxis communicetur, ac ſupra ilia non aſcendat. 2. quod interdum ei uteri ſuffocatio ſuperveniat, quæ non in colica apparet. 3. quod ille tum ſolum excruciet, quando vel præceſſit partus, vel inſtant menſes, aut iidem ſupprimuntur.

LXVI.

Reſtant prognoſtica, quorum multa paſſim reperiuntur. Inter omnes autem colicas affectiones, ea quæ ex inflammatione ortum ducit, eſt graviſsima, in ileum enim tranſitionem minatur.

LXVII.

Colicus dolor ſæpiſsime in reſolutionem nervorum, vel in morbum articularem, vel in iliacam paſsionem, nonnunquam etiam in hydropem tranſit. Bruel:

LXVIII.

Minus periculoſus eſt coli dolor, in quo non omninò excrementa ſupprimuntur, neque in una ipſius coli parte fixus dolor ſentitur.

LXIX.

Periculoſius eſt, ſi totum colum afficiatur dolore, quam ſi pars ſaltem illius, & minimum periculum eſt, ſi ſecundum umbilicum, colique finem dolor conſiſtat.

LXX.

Si ab inteſtinorum in ſcrotum prolapſu dolor excitetur, niſi inteſtina reponantur, antequam inflammentur, periculoſum eſt, & ſæpe lethale malum.

LXXI.

Colicus dolor à bilioſis humoribus factus, facile in dyſenteriam commutatur: Acris enim & bilioſus ac mordax quum ſit humor, inteſtina corradit, & exulcerat.

LXXII.

Si quoque dolor colicus vehemens ſit, ſi continuus, ſi nauſea vehementiſſima, nec tamen quicquam vel ſuprà, vel infra emittatur, malum eſt: ſed peſſimum omnium, ſi cum his omnibus anhelitus fœteat, cum ſit certum argumentum, malum convertendum eſſe in ileum.

LXXIII.

Similiter manifeſtum eſt, ubi qui colico laborant affectu, frequenter ſudant ſudorem frigidum, frequenter deficiunt animo, præſertim ſi & ſudor frigidus & animi deliquia diu durent.

LXXIV.

Sed de ſignis dixiſſe ſufficiat. Supereſt ut ad Therapiam accedam.

LXXV.

Cum vero dolor hic ſit ſymptoma, ſymptoma verò à morbo ejusque cauſa dependeat, iiſque demptis protinus evaneſcat; ideo inter indicantia propriè dicta locum non invenit, ſed tum ſolum, quando induit naturam alicujus cauſæ, ejusque vel morbum præſentem foventis, vel novum morbum generantis, vel vires nimioperè proſternentis, tunc quippe curam ad ſe trahit, & ad indicans præſervatorium refertur. Teſt. Gal. l. 12. m. m. cap. 1.

LXXVI.

Dolor ergò dupliciter tractandus, vel ut ejus cauſa tollatur vel ut acerbitas illius leniatur ac mitigetur.

LXXVII.

Cauſam tollunt tria medicinæ therapeuticæ organa: diæta nimirum, pharmacia & chirurgia.

LXXVIII.

Diæta ſub ſex rebus non naturalibus comprehenditur.

LXXIX.

Itaque ſi dolor ortus ſit à cauſa pituitoſa, aut humore flatulento, Aer vergat ad caliditatem, ut calor improportionatus & inſufficiens juvetur, & augeatur.

LXXX.

Cibi vitentur refrigerantes, humectantes, & multum ſtatuum procreantes; cujusmodi ſunt piſa, fabæ, nuces, poma imprimis cruda, pruna &c. Quin potius eligantur alimenta calefacientia & ſiccantia, bonumque ſuccum generantia, thymo, majorana, fæniculo, aniſo, cinamomo, aliſque aromatibus condita.

LXXXI.

Potus ſit vinum generoſum, quale eſt meracum, aut etiam aromatizatum, præſertim in illo dolore, qui fit à flatibus. Nam experientia teſtatur, quod ejusmodi dolores unico vini generoſi, ut malvatici hauſtu fuerint curati & ſedati.

LXXXII.

Exercitia, ſi dolor permittat, nunquam non negligantur; Excitant enim debilem calorem; Etſi à flatibus ſit colica, eoſdem diſcutiunt,

LXXXIII.

Si verò dolor nimis urgeat, quieti corpus tradendum eſt, & imperandus ſomnus, modo dolor illum admittat.

LXXXIV.

Alvi excrementa evacuentur quotidiè natura, vel arte. Maxima enim ſanitatis pars in alvi lubricitate eſt poſita.

85. *Vi-*

LXXXV.

Victus rationem quod concernit in colica bilioſa, ita dirigenda ea eſt, ut ſit peccanti humori contraria.

LXXXVI.

Pharmaciam quod ſpectat, conſiſtit illa in primarum viarum mundificatione, humorum præparatione, & præparatorum evacuatione.

LXXVII.

Mundificantia primas vias ventriculum ſc. inteſtina & meſenterium nominantur laxativa & ἐκκοπρωτικὰ. Suntque triplicia, aut enim per os ſumuntur: aut per anum immittuntur, aut umbilico, imoque ventri foris applicantur.

LXXVIII.

Quæ per os aſſumuntur ſunt vel alimenta, vel medicamenta. Alimenta ſunt Malva, Beta, Lactuca, Spinachia, Blitum, pinguia jura, & brodiola carnium.

LXXXIX.

Medicamenta vero vel ſunt ſimplicia, vel cõpoſita. Simplicia ſunt pulpa prunorum, pulpa tamarindorum, pulpa caßiæ, pruna Damaſcena, oleum commune recens, oleum amygd. dulc. noviter expreſſum.

XC.

Compoſita exiſtunt in officinis; ut Decoctum ſenæ, Decoctum Epithymi, Decoctum capillor. veneris, Syrup. de Manna, Syr. roſar. Sol. ſimpl. Mel roſatum ſolutivum. Syr. de ſena. Pil. de Hyera ſimpl. Pil. de Hiera cum Agarico. Elect. lenitivum de manna. Elect. Lenitivum Florenzol. Conſerv. flor. perſicor. recens, &c.

XCI.

Quæ per anum inyciuntur, ſunt vel ſuppoſitoria, vel clyſteres. Suppoſitoria ex variis rebus parantur. Clyſteres autem ex herbis emollientibus conficiuntur, ut ex Malva, Althæa, Beta, Lactuca, Blito, Mercuriali & aliis emollientibus, quæ decoquuntur in aqu. aut decocto, cui poſtmodum admiſcentur, oleum olivarum, oleum lilior. albor. ol. amygd. dulc. unguent. clyſmaticum, mel violar.

Bene-

Benedicta laxativa, Hiera picra, Diaphœnic. caſſia recens extracta, &c. ut videre eſt apud Practicos.

XCII.

Vmbilico imoq; ventri foris applicantur unguenta laxativa, ut unguentum Agrippæ, unguent. de Artanita majus, unguent. è Lathyride. olea, & ſacculi parati ex ſimplicibus emollientibus.

XCIII.

Alvo lenita, primisq; viïs expurgatis, ad præparationem humorum eſt accedendum. Præparantur autem humores variis remediorum generibus: Quæ rurſus vel ſunt ſimplicia, vel compoſita: Et hæc vel pituitam vel bilem præparantia.

XCIV.

Simplicia, quæ pituitam præparant, ſunt Rad. Angel. 5. aperitivæ, Galang. Acori veri. Herb. & folia Beton. Veronîcæ: Hyſſop. majoran. Salv. Thymi, origani. Flores & ſummitat.: anethi, lupuli, centaur. minoris, ſtæchad. Arabic. Allium, quod valde commend. à Gal, l. 12. c. 8. m. m.

XCV.

Compoſita ſunt, Aq. Hyſſop. Marrubiï, origani, ſaturei: Heleniï, calaminth. ſerpill. Syr. de marrub. veronicæ, de calamintha, mel violarum, oxymel ſimpl. & compoſitum.

XCVI.

Quæ Bilioſos humores alterant ſunt duplicia: Vel enim vim habent attenuandi, incidendi & detergendi, ut Rad. cichor. graminis, Aſparagi: Herb. Endiv. cichor. ſonchi, Sem. quat. frigid. major. & minor. Vel æſtuantem & ferocientem Bilem compeſcendi ut lactuca, plantago, acetoſa, acetum, ribeſia, ſuccus Limonum.

XCVII.

Officinalia vero Bilem præparantia ſunt Syrup. violar. Nymph. Iujub. de cichor. Limonum. Iulep. violar. Aq. violar. bugloſſ. lactucæ, malvæ, acetoſæ, graminis, melonum, &c.

XCVIII.

Præparatis humoribus ad purgantia progrediendum, quæ itidem vel ſunt ſimplicia vel compoſita.

99. Ex

XCIX.

Ex ſimplicibus ad humores pituitoſos commendantur, Agaricus, Turpethum, Colocynthis, Radix cyclaminis, Rad. Bryoniæ, Mechoaca.

C.

Compoſita ſunt Tab. diacitr. Sol. Diaturbith. Diacarth. Extract. de agar. Cnicopharm. Phlegmagogum Quercetan. Elect. indum, Epiſcop. Pil. de Agar. de colocynthide, aggregativæ. Agar. Trochiſcatus, Trochiſci Alhand.

CI.

Pro bilis expurgatione primas obtinere videtur Rhabarbarum, quod anima Iecoris à quibusdam veteribus fuit appellatum: Manna, Caſſia, Aloe, Succus roſar. violar. Scammonium, & hujus præparatio Diagridum vocatum.

CII.

Compoſita evacuantia Bilem ſunt Syr. roſar. ſol. compoſ. Montag. Hiera pachii. Diacydoniat. Luc. laxat. Elect. è ſucc. roſar. Roſat. Meſ. Extract. Aloes, Rhabarbar. ſimpl. & compoſ. Cholagogum Quercetan: Pil. ſtomachicæ, Pil. aureæ Nicol. Pil. de Rhabarbar. Tab. Diaturbith cum Rhabarbar.

CIII.

Flatus ſi adſint, doloresque excitent, diſcutiendi ſunt tum remedijs internis, qualia ſunt, Dianiſum, Diagalang. Zingiber condit. Nux Moſch. condit. Tab. ex ol. fænicul. ol. aniſi: Tab. ex ol. cinamom. Elixir. vitæ Matthiol. Spir. Aniſi, Fænicul. Bacc. Iuniper. Tum externis, ut ſunt inunctiones ex ol. nard. amygd. amar. abſinth. rutaceo, anethino: Et ſacculis ex herbis carminantibus calidè ventri adhibitis.

CIV.

Hiſce peractis, ad ipſum dolorem eſt reſpiciendum, qui demulcendus & placandus eſt, quod fit per paregorica, quæ vel ſunt interna, vel externa.

CV.

Interna ſedantia dolorem ſunt ol. amygd. dulc. recens expreſſ.

ol. comm. cum ſachar: aut vino pot. aq. chamæmel. ſyr. de chamæmel. &c.

CVI.

Externa ſunt Vnguent. Aregon. Nicol. Ol. Iuniper. Lilior. Convall. Succini, Irinum, Therebinthinæ.

CVII.

Si vero dolor vehementer urgeret, neque medicamentis modo commemoratis cederet, ſed vires valde debilitaret, tunc virium habenda ratio erit. Virtus enim regina eſt omnium indicantium, & vires conſervare eſt ipſam vitam conſervare. Quapropter ad norcotica confugiendum: Qualia ſunt Laud. opiat. Paracels. Philon. Tharſenſe, Galen. Philon. Meſ. Theriaca recens, Requies Nicolai, &c.

CVIII.

Chirurgia, cujus ſuperius facta mentio, etſi vix in hôc affectu locum inveniat, attamen cucurbitularum applicatio ſine ſacrificatione revulſionis gratia, haud inutilis videbitur. Adeò quoque utilis eſt in colica flatulenta, ut umbilico ſæpiùs applicitæ incantamenti cujuſpîam ſimile quid efficere videantur: teſte Galeno l. 12. m. m. c. ult.

CIX.

Cæterum cum medici officium ſit non tantùm ægros curare, ſed eoſdem etiam à morbo futuro præſervare, omni ſtudio eò laborandum eſt, ut illis, qui ſunt diſpoſiti ad hunc morbum, exhibeatur victus huic affectui oppoſitus, & tota diæta opponatur cauſæ hujus affectus: Viſcera, ventriculus, & inteſtina præſerventur illis quæ corrigunt intemperiem, & quæ corroborant. Ex quibus imprimis commendantur Caſtoreum, Electuar. de Bacc. laur. Cuminum frequenter uſitatum: Confect. ſem. cymin. Cornu cervi. Inteſtinum Lupi ſiccatum, quod ſubſtantiæ proprietate colicæ mederi à quibusdam creditur. Vberiorem hoc de affectu materiam qui exigit, practicos conſulat. Hæc inpræſentiarum de colica dixiſſe ſufficiant, DEO SIT LAUS HONOR ET GLORIA.

CORO-

COROLLARIA.

I. Utrum vulnera inteſtinorum ſint lethalia? Diſting.

II. An prægnantes ſint purgandæ? Diſting.

III. Utrum inveterata phtiſis curationem admittat? N.

IV. Detur ne ſpiritus naturalis? A.

V. An diætetica medicina pharmaceuticâ & Chirurgicâ ſit præſtantior? A.

VI. Rectenè menſtruus ſanguis materia lactis ſtatuatur? A.

VII. Utrum ciborum concoctio noctu nobis dormientibus, fiat meliùs, quam interdiu nobis vigilantibus? A.

VIII. An in Lypothymiis oleum vitrioli præſtantiſſimum ſit Remedium? A.

IX. An vinum pueris & febricitantibus conveniat? pro potu ordinario nequaquam.

X. An opium ſomnum conciliet qualitate ſua frigida? N.

XI. Numquid in principio peſtis ſomnus ſit concedendus? N.

F I N I S.